

quàm in conjunctione, unde etiam tanto major apparet ac stella Veneris, ita ut novam quandam stellam simpliciores oriri putent.

An Comitibus stipatus sit? non satis videri potest; Etsi non desint qui Martem fociis stipatum esse asserunt. *Franciscus Fontana* specillo suo novo in prima observatione Martem perfectè sphericum, in medio autem atrum conum instar nigerrimæ pilulæ apprehendit; quæ an ejus comes? an potius ejusdem corporis maxima concavitas? aliorum relinquit judicio. In secunda observatione, pilulam nigram seu conum distinctè ad circuli ipsum ambientis deliquium proportionabiliter deficere, vidit; Quod fortasse Martis gyrationem circa proprium centrum putat: vide quoque *fig. 3. Iconismi II. Pater Antonius Ma-*

ria Schyrlæus de Reita, in Oculo Enoch & Eliæ lib. 4. cap. 5. observavit eum nunquam rotundæ sed jubatæ figuræ, & quasi multis maculis seu lateronibus stipatum, nihil tamen certi de hujus sideris comitatu adstruere potest.

Quî fiat, quod hic Planeta ut & Venus, non appareant nobis ita magnitudines suas secundum eorum diversas distantias, variare, quantum conveniat, causa partim est in oculo nostro, in cujus humiditate lumen refringitur, & proinde illi objecta resplendescunt & remota non repræsentantur simplicia & pura, de quâ re vide in *lib. 4. cap. 14. De differentia ad spectus.* Martis gyrum seu vertiginem circa suum centrum, admittunt *Reita, Kircherus, Zupus Mathematicus Neapolitanus & alii.*

CAPUT XVIII.

De Jove.

Post Martem sibi Jupiter locum vendicat, absolvens Zodiacum annis Ægyptiis 11 & diebus ferè 315, eandemque Fixam assequens annis 11 & diebus circiter 318.

Hic Planeta à veteribus Astronomis semper solitarius fuit creditus, nostro tamen seculo quatuor comitibus seu Lunis eum concomitantibus, stipatus, Telescopiorum beneficio videtur: Ipsumque corpus, tribus vel 4 zonis seu fasciis obscuris aut nigris, non semper tamen uno eodemque modo apparet: Has autem Lunulas circa Jovem in Epicyclis suis ferri, ocularis inspectio probat; quamvis, quod conversionis tempora attinet, aliqua differentia deprehendatur: *Schyrlæus* tamen statuit, (1) Illam, quæ Jovi vicinior est, revolutionem suam absolvere horis 42 circiter. (2) Sequentem 3½ diebus naturalibus. (3) Penextimam, diebus 7. (4) Extimam, diebus 17. Et quidem omnes supra Jovem ab occasu in ortum, infra verò ab ortu in occasum volvi videntur. Hinc & quandoque majores, cum Jovem ab ortu accedunt: ali-

quando minores, dum ad eundem ab occasu adventant, nobis apparent; tardius quoque in quadraturis, velocius autem in conjunctionibus videntur ferri. Neque dubium est, eas retrò Jovem nobis occultari; tum de novo prodire: seseque ipsas etiam eclipsare adinvicem; Ut & Jovi ipsi, quando intra eum & Solem constitutæ sunt, quodam modo Eclipses seu umbras adspargere. Distantias harum Lunarum à Jove, & moles earum notarunt: *Galilæus, Marius, Schickhardus, Gassendus & Schyrlæus*; Hic putat primam seu proximam Jovi Lunulam, nostræ Lunæ esse quasi æqualem, & à Jove distare diametrorum Jovialium 3, inque Jove duplo majorem apparere, quam hîc in Terra nobis Luna nostra. Secundam Jovis Lunam, scribit esse proximè tantæ molis, quantæ Mercurius, & à Jove distare ejus diametros 4. Tertiam verò Veneri non multum cedere, ac distare 6 diametros. Quartam denique seu extremam, Tellure nostra haud multò minorem esse, & distare à Jove 10 diametros Joviales: Hasque omnes

D

Jo-

*Jupiter 4
Lunis stipatus est.*